

Responsum a Sigismundo Rege Polo-  
niae Oratori Regis Ferdinandi post  
susceptas inducias —

84

Sacra Regia Maiestas Magnifice Domine, cum audisset ea, quae Dominatio Vestra nomine Serenissimi Domini Hungariae & Bohemiae Regis Domini sui heri de pace & tranquillitate publica retulit, gratulata est, & gaudebat vehementer, quod Maiestas illius tam studiosam et amantem communis concordiae, et quietis se esse delectaret, et illam suis privatis, et amplissimis quibusvis commodis preferre, ad illamque non solum mente & animo, verum manifesto, iam rei ipsius documento et testatione propensa esse voluerit. Quo nomine, simul quod operam quoque suam insuadenda conciliandaque ipsa pax praestitam Maiestati illius gratam esse cognoscat, plurimum debere, vult Maiestas sua illius Maiestati, nunc autem quantum verbis gratitudinem consequi potest, magnas habet, & agit Maiestati eius gratias, ob id, quod et ab initio in oratoribus Posnamiam mittendis et nunc in suscipiendis induciis promptam et favilem voluntatem suam exhibuerit. Qua facilitate illò adhuc primo tempore freta Maiestas sua desistere nunquam a suadenda concordia voluit,

Sed



sed diu sollicitè, repetitisque vicibus adhuc aequè utramque  
partem egit, ut armis depositis et suscepta concordia  
Reipublice Christiane pacem & tranquillitatem compara-  
raret. In quo & si adhuc cum fructum, quem Christiani-  
tatis rationes desiderant, Maiestas sua non sit plene con-  
secuta, letatur tamen magnopere, eo rem perductam  
esse, ut sperare liceat, sub induciis istis, totum reliquum  
pacis negotium ad optatum finem et exitum perducere  
posse. In qua re si Maiestas sua opere suo non peper-  
it, nunc maxime re bene inchoata, omnibus viri-  
bus & seculitate emitti vult et pollicetur, quò pax &  
tranquillitas, ista funesta bella cito subsequatur: ve-  
rum rogat vicissim Maiestatem illius Maiestas sua,  
ut in residuo hoc opere, voluntatem suam aequè ut  
prius facilem Maiestati suae accommodare velit.  
Quod vero ad maiestatis illius adversarium attinet,  
Maiestas sua Dominationi Vestrae declarat, illum  
conditiones induendarum acceptasse & approbasse, sequi  
illis uti velle, secundum formam prescriptam de-  
clarasse.